DECRETUM

Feria II. die 12 Julii 1869.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX *sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die* 12. *Julii* 1869. *damnavit et damnat, proscribsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur* :

La Bible dans l'Inde : Vie de Jezeus Christna, par Louis Jacolliot. Paris, A. Lacroix, Verboeckhoven et Cᵉ, éditeurs, 1869.

Ernest Renan, Questions contemporaines. Deuxième édition. Paris, Michel Lévy Frères, libraires éditeurs, 1868.

Ernest Renan, Saint Paul, avec une carte des voyages de Saint Paul par M. Kiepert de l'Académie de Berlin. Paris, Michel Lévy Frères, libraires éditeurs, 1869.

Primi insegnamenti cristiani esposti in Dialoghi da S. A. ad uso delle scuole elementari d'Italia approvati il 9 Ottobre 1868 da Monsignor Arcivescovo di Palermo.

Catecismo de Moral ecrito por Nicolas Pizzarro Mejico 1868.

Annuaire de l'Institut Canadien pour 1868, célébration du 24ème anniversaire de l'Institut Canadien le 17 Décembre 1868. (*Decr. S. Officii Feria IV. die 7 Julii 1869*).

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub pœnis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ IX. *per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.*

Datum Romae die 16 *Julii* 1869.

ANTONINUS CARD. DE LUCA PRAEFECTUS.

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA ORD. PRAED.

S. IND. CONGR. A SECRETIS.

Loco † Sigilli.

Die 19. *Julii* 1869. *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariæ super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini apost. Curs.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

Romae 1869.—Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicae.

Illme ac Rme Dne,

Cum in generali Congregatione S. R. et U. I. habita feria IV. die 7 curr. Emi. ac Rmi. Generales Inquisitores jamdiu motam de Instituto Canadensi controversiam ad examen revocassent, singulis mature ac diligenter expensis, A. Tuæ significandum voluerunt, rejiciendas omnino esse doctrinas in quodam annuario, quo dicti Instituti acta recensentur, contentas, ipsasque doctrinas ab eodem Instituto traditas prorsus reprobandas. Animadvertentes insuper laudati Emi. ac Rmi. Patres valde timendum esse ne per hujusmodi pravas doctrinas Christianæ Juventutis institutio et educatio in discrimen adducatur, dum commendandum expresserunt zelum ac vigilantiam a Te hucusque adhibitam, excitandam eamdem A. Tuam jusserunt, ut una cum tuæ Diœceseos clero omnem curam conferas, ut catholici ac præsertim juventus a memorato Instituto, quousque perniciosas doctrinas in eo edoceri constiterit, arceantur. Dum vero laudibus prosequuti sunt alteram Societatem *Institutum Canadense Gallicum* nuncupatam, nec non Ephemeridem dictam : " *Courrier de St. Hyacinthe* " utramque fovendam adjuvandam que mandarunt, ut ita iis damnis ac malis remedia quærantur, quæ ex alio præfato Instituto haud dimanare non possunt. Quod A. Tuæ pro mei muneris ratione communicans omni cum observantia maneo

Romæ ex Æd. S. C. de P. F. die 14 Julii 1869.

A. Tuæ

humillimus et addictissimus famulus

Mr. Ignazio Bourget

Vescovo di Montreal.

(Signatus) Joannes Simeoni Secrius.

(Pro Apographo)

J. Desautels Pter.